



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 1. Prior ejus causa, retardatio possessionis Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

CAPUT QUARTUM.

*De pœna damni piorum manium :
sive de jactura beatitudinis.*

PRÆFATIO.

92.
Pœna dam-
ni qua in-
cludat.



UA de captivitate, ejusque loco hætenus disputata sunt, vel revocari possunt ad pœnam damni, vel ad pœnam sensus: ut liquidum est consideranti. Cæterum etsi acerbissima, tamen præludia sunt dumtaxat ejus mœroris, qui nunc nobis propositus est: non tam ad dicendum, quàm ad mirandum, & deplendum. Etenim nisi expertus, nemo capere animo potest, nedum exprimere verbis illam doloris immensitatem, quem exilium à beatissimo Numinis conspectu, aliæque huic consequentes pœnæ fidelibus manibus creare natæ sunt. Quas ut ordine digeram, primùm hoc capite de temporariâ visionis beatificæ jacturâ, tum de amoris, ac gaudii beatifici privatione deinde sequenti, de sempiternâ jacturâ ingentis gloriæ per locordiam factâ, deque multiplicis gratiæ repudiatione, denique de peccato, & postremo de satisfactionis hac in vitâ neglectu, erit differendum. Adeste igitur genii, piorum manium tutelares; vestra enim agitur causa, dum carissimorum vobis capitum ingens ex tantâ jacturâ morâque dolor proponitur, quippe liberorum ærumnæ, matrum pectora æquè, aut magis, fodicant.

ARTICULUS I.

*Animarum ingens tristitia ex
privatione intuitus beatifici.*

93.
Cerrum est
purgandas
animas
Deum non
videre.

TRISTITIÆ hujus quam expendimus, duo sunt fontes præcipui: prior est præstantia rei, cujus jactura fit; posterior, ejusdem desiderium. Ut igitur de priori priùs agatur, statuendum principio, tamquam exploratum pios manes Numinis aspectu minimè frui. Causa est in promptu, tum quia ideò carcere lustrali detinentur, quòd ad intuentum Deum

minimè expediti sint, quippe quòd pro noxis necdum fecerint satis, atque adeò pœnas adhuc dare debeant, quarum potissima est divini illius conspectus privatio, tum quia si Deum contuerentur, jam beatitudine potirentur, ac proinde omnis pœnæ dolorisque forent expertes. Et illud est, quod Joannes indicat Apocal. 21. ubi de cælesti Jerusalem agens: *Non intrabit, ait, in illam aliquid coïnquinatum*, sive ut ex Græcis patet, aliquis coïnquinatus. Id quod Isaias Vates sic expresserat: *Populus tuus omnes iusti*. c. 60. nimirum quod obligatio ad pœnam, etsi non noxa, aut macula vera sit, tamen ex noxâ nascitur, dumque perseverat, necdum censetur noxa prorsus abolita, propterea quòd in eo suo partu, atque effectu, quasi vivere videatur.

Porro privatio visionis beatificæ, cæterorumque visionem consequentium, cum tristitiâ inde exortâ Theologis pœna damni dicitur, quod & damnum sit, seu jactura, & in pœnam infligatur, utque à pœnâ sensus, id est ab igne, aliisve justitiæ vindicis, si qua sint, instrumentis distinguatur.

94.
Quid pœna
damni.

§. I.

*Prior ejus causa, retardatio possessionis
Dei.*

PARS PRIMA.

Quid Dei possessio?

HIS igitur constitutis, quærimus, 95.
quanta sit vel ad breve tempus jactura visionis beatificæ. Cui quæstioni respondeo, tantam esse, quantum est bonum ex adverso possidere ipsum Deum. Enimverò clarus Numinis intuitus, perfecta ejus possessio est. *Quis sic?* ais. Nam si Principum, Regumque palatia intus, forisque contempler, non continuè ea possideo. Imò verò, si sapientes consulas, verius, vel sic possidebis, quàm Principes, vel Reges ipsi quavis corporeâ ratione apprehendendo,

95.
Præstantia
visionis
beatificæ,
quod sit
Dei possessio.

deſſendo, detinendoque. Quippe quòd viſus, ac quælibet cognitio, quædam rei objectæ ſpiritualis apprehenſio ſit, longèque penitiùs, nobiliùsque illam ſiſtat præſentem, quàm manus complexu ſiſti poſſit. Sed eſto, res corporatæ cognitione, præfertim imperfectâ, non poſſideantur: alia eſt ratio ſpiritualium, alia Dei, qui cùm manibus apprehendi nequeat, ſed ſolâ cognitione, & clara quidem cognitio, qualis eſt beatifica, illum ut in ſe eſt, menti exhibeat, atque adedò ſiſtat præſentem, quid abeſſe poteſt, quin Dei dicatur poſſeſſio? Accedit quòd rerum corporatarum intuitus, facultatem fruendi rebus viſis, aut cognitis minimè præbeat, quæ tamen facultas ad veram poſſeſſionem requiritur. At viſio Dei eam omnino præſtat. Nam beatus hoc ipſo, quo illum clarè intuetur, eo frui, ac pro arbitrio delectari poteſt. Eſt ergo intuitus Dei, perfectâ ejuſdem adeptio, ac poſſeſſio.

96. *Solane an etiam cum amore nil refert.* Nec refert ad propoſitum celebris illa Theologorum controverſia, an in eâ ſolâ beatitudinis eſſentia ſita ſit, quod contendit Angelicus Doctòr cum ſuis aſſeclis. Et ſi enim Divo Bonaventuræ contra S. Thomam tendenti conceſſerimus, amorem gaudiùmve ad beatitudinis eſſentiam pertinere, atque ad abſolutam omnibus numeris ſummi boni comprehensionem, ut illud viſione apprehendi, gaudio conſtringi, utroque ſatiari animus poſſit: tamen viſio Dei, amoris, ac gaudiû radix, ac parens eſt, atque adedò vel efficit ipſa perfectam Dei poſſeſſionem, vel invehit, quod nobis impræſentiarum ſufficit.

97. *Quid Deus.* Ut itaque illam Numinis poſſeſſionem expendamus, videndum porrò quæ licet, quidnam ſit Deus? Quæ quidem perquam ardua quæſtio eſt, ſolique ipſi Deo pertractanda, cùm ſe ipſe ſolus omnino comprehendere poſſit. Quare Clemens Alexandrinus ſtom. lib. 2. *Deus, ait, res quædam eſt captivæ, ac venari difficilis, ſemper recedens, atque à perſequenti ſe removens.* Verumtamen quia res exigit, ut de illo dicatur aliquid, & Theologia nonnullam Numinis notitiam præbet, dico Deum ſic utcumque definiiri poſſe, ut ſit ens infinitum in omni genere entis, ſeu perfectionis.

98. *Exponitur.* Etenim hac definitione ſtatuitur primum exiſtentia Dei neceſſaria. Si enim poſſet non exiſtere, quæ omnium perfectionum eſt fundamentum, exiſtentia, caduca, fluxaque foret. Quomodo igitur non imperfecta? quomodo eſſet infinita. Deinde eadem definitione æternitas divina conſtituitur. Nam ſi Deus cepiſſet aliquando, etiam aliquando non fuiſſet.

Item ſi finire poſſet, poſſet non eſſe; quæ ſumma impotentia eſt. Cùm verò quidquid Dei eſt, ut mens ejus, ac voluntas, bonitas, felicitas, miſeratio, juſtitia, denique decreta omnia, ſingula, & univerſa aliud non ſint prout in ipſo ſunt, quàm ipſe ſimpliſſimus Deus, conſtat ipſa quoque æterna eſſe, atque adedò, & fuiſſe ſemper eadem, & eſſe, & fore; ac, quod ei conſequens eſt, vitam, ac voluptatem, felicitatèmq; divinam totam ſimul eſſe. quæcumque fuit, aut eſt, aut futura eſt. Quamobrem divina quidem, quæ ſola vera eſt æternitas, rectè deſcribitur. *Interminabilis vita tota ſimul, & perfectâ poſſeſſio.* Agnoſcitur præterea ſapientia Numinis immenſa, quam ſi expendere voles, intellige ipſum eſſentiam ſuam mente comprehendendo, cognoscere clariffimè, diſtinctiſſimèque res omnes, quæ ab eâ condi poſſint, quàsque harum ſingulæ efficere, aut recipere, imò quidquid quavis occasione, conditionève poſitâ eſſent effecturæ, paſſuræve, quidquid item tota retro æternitate, quibulvis momentis, locis adjunctis revera facturæ ſint. In quo ipſo quàm multiplex ſit immenſitas, vide. Nam hoc momento objici mihi, admoverique poſſent infinita, quorum ſingula ſi admoverentur, novit divina illa mens, quid cogitarem, quid agitarem, quid hinc ſequeretur, fieretve uſque in immenſum. Novit autem æquè diſtinctè, atque ſi res unica jam nunc fieret. Stabilitur inſuper eadem definitione amor Dei immenſus, tum eſſentiæ ſuæ, divinarumque perſonarum, tum rerum ab ipſâ procreatarum, quippe quæ illius quædam imagines ſint, & rudimenta, ſcintillæve divinitatis. Ex quo amore manat miſericordia in homines toties immenſa, quot homines ſunt, quot fuère, & erunt: quia omnium gratia Deus hominem induit, quæ infinita divina Majeſtatis abjectio eſt; mortem etiam ſubiit, quæ immenſa quoque miſericordia eſt; imò toties immenſa ſit neceſſe eſt, quot momentis eorundem cauſâ vitam theandricam vixit: quoniam ejus ſingula momenta immenſi ſunt pretii. Adde eſſe nunc toties item immenſam miſericordiam, quot noxis parcat, maximè mortiferis. Denique quoniam in infinitum procederet hæc de infinito oratio, indidem conſicitur potentiam ejuſdem Numinis, ſanctitatem, veritatem, dominium, juſtitiam, felicitatem, omnem demum perfectionem eſſe pariter infinitam.

Hoc eſt igitur Deum videre, æternitatem, ſapientiam, amorem, miſericordiam, potentiam, ſanctitatem, veritatem, dominium,

99. *Comparatur cum creaturis.*

nium, justitiam, felicitatem infinitam, omne denique perfectionum genus revera possidere. Quod siminibus mentis oculos feriat, quoniam infiniti ratio, ab ea corpori immersa, & phantasiâ administrâ ad intelligendum utente, omniâque tamquam corpore, loco, magnitudine circumscripta cognoscente, non satis percipi potest. Componamus, si lubet, Deum cum rebus conditis, ut illius præstantiam meliùs æstimemus. Age fume tibi libram, ejus alterâ lance Deum solum, alterâ Deum cum omnibus rebus, quæ sunt, quævé esse possunt, mente colloca, & trutina: Tum dic quâ parte præponderet. Quam non solus est, inquis: at perperam. Nam Theologis Deus cum rebus cæteris ab eo distinctis sumptus, non valet ampliùs, quàm solus. Quid ita? quia Deus omnem perfectionem, atque omne bonum creatum, ac creabile eminenter in se completitur, sive longè excellentiori modo continet. Si instes saltem res conditas addere Deo aliquid ab eo distinctum, illudque per se per maximum esse. Aio ego illud, quidquid est, ad Deum non plus, quàm pulvisculum esse ad mundi universitatem: & authorem laudo Vatem Isaiam cap. 40. ita id pronuntiantem. *Ecce gentes, quasi stilla simula, & quasi momentum statera: vel ut Hæbrai: Quasi pulvis minutus statera, quo scilicet statera minimè movetur, reputata sunt.* Atque ut stemus prioris responsione, statim postea: *Omnes gentes, ait, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inanè reputata sunt ei.* vel potiùs, ut Forerius vertit, plusquam nihilum, sive minus nihilo. Causa est, quòd minus distet ens finitum à nihilo, (licèt distantiam illam infinitam dicas) quàm à Deo: quandoquidem ab hoc toties infinito intervallo distat, quot sunt perfectiones divinæ, quæ numero infinitæ sunt, uti & præstantiâ, & pretio.

PARS SECUNDA.

Quanti ea possessio, eiusque iactura sit faciendâ.

100.
Quanti
æstimanda
ejus possessio.

SATIS intelligis, Christiane, quid sit Deum adipisci ac possidere. Quanti igitur illud æstimas? Suarius disp. de Purg. sect. 3. certè Theologicâ lance rem perpendens tanti facit illam visionem, vel possessionem per dieculæ spatium, ut omnium hujus vitæ bonorum integram, diuturnamque possessionem illi posthabeat. Augustinus verò plus etiam illi tribuit. Nam, *tanta est, inquit, pulchritudo, & incunctitas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret*

ampliùs in eâ manere, quàm unius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles hujus vitæ anni, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè, meritoque contemnerentur: non enim falso, aut pravo affectu dictum est, Melior est dies una in atriis tuis super millia. Ita ipse Tom. 1. de lib. arb. l. 3. cap. 25. Audis visionis beatificæ usuram per dieculæ spatium præferendam possessioni bonorum hujus vitæ omnium diuturnæ, imò per innumeros dies continuatæ? Causam profero. Etsi enim visio illa non sit perfectissima Numinis intuitio, possessiõve (hæc enim cum objectæ rei, seu essentiæ divinæ cursus adæquetur, soli Deo competit, vocaturque stricto vocabulo, comprehensio) tamen vera, germanaque ejusdem essentiæ, divinarumque perfectionum, ac personarum intuitio, possessiõque est, nobiliorque, ac verior, quàm possessio opum, ac honorum, quæ exterior est, cum hæc sit vitalis, & intima. Item nobilior, ac verior, quàm possessio deliciarum, ac voluptatum: quæ quia sensibus maximè percipitur, materialis, atque indigna homine est, animùmque afficit quidem, sed leviter, ac turpiter. Cum ergo beato Dei contuitu veriùs, ac nobiliùs adipiscamur Deum, quàm opes, honores, delicia mundi hujus possint possideri, & insuper Deus infinitis partibus omnia ejusmodi bona, non modò quæ possidentur, sed quæ condi, ac possideri possunt, exsuperet, consequitur beatam dieculæ unius visionem longissimæ eorum bonorum possessioni anteponendam esse. Quod spatium si à mundo condito extendamus ad illius excidium, sat scio non plus justo visionis beatificæ excellentiæ tribuendum. Imò opinor posse in dubium vocari, an momentum ejusdem visionis tanto illo spatio possessionis bonorum omnium temporalium non præstet, quoniam visio multò superioris ordinis est. Et erunt, qui hac ipsa causâ, vel æternam ejusmodi bonorum possessionem illi postponant, quibus non illibenter assentiar. Certè pulvisculi possessione, qualis, qualis est, facile in æternum quis se abdicet, ut brevissimo tempore regno aliquo potiatur. Quid tamen Regnum ad Deum?

Porrò hinc colligitur visionis beatificæ, vel ad brevissimam moram fruendæ causâ, *101. Quid pro ingentia, si opus foret, supplicia perferenda esse. Docet id Suarius de Purg. sect. 3. dum. hicce verbis: Tale est illud bonum, scilicet visio, ut si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etsi ad breve solum tempus concederetur, ergo è contrario retardatio tanti*

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 31

tanti boni, & privatio eius, licet temporalis maximum malum est, infinitè, ut ita dicam, excedens omnia huius vitæ nocumenta. Hæc ipse. Ex quibus liquidò patet fruendi illius gratiâ, omnia hæc subeunda esse: si quidem divina Majestas id exigeret. Venerabilis Beda etiam usque ad tartari cruciatus se porrigit. *Si enim, inquit, quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero sociari, nonne erat dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantaque gloria participes haberemur?* Serm. 18. de SS. Enimverò si labor, ac conatus præmio adæquari deberet, præmium hoc, hæc possessio summi boni, utcumque brevis, ingentis pretii est. Summo igitur, ingentique conatu, summo labore esset adeunda. Et cum omnia huius vitæ bona longissimo intervallo superet, huius vitæ laboribus, ac voluntariis pœnis emi non posset. Rursum cum etiam opera supra naturam sita, etiam ex charitate profecta, nimium quantum dignitate, & excellentia vincat, sive quod omne prorsus excludit peccatum, sive quod summi boni adeptionem includit, estque omnium, quæ esse possunt vitalium actionum perfectissima, etsi opera illa immensâ cum charitate, immenso cum cruciatu, & difficultate coniuncta esse ponas, pariterque diutissimè, constantissimèque tolerata, tamen vel temporariam Dei visionem promereri non poterunt. Quare extende te, ut libet, anime, & quantum licet humanitus, intelligentiam explicat cogitandis cruciatibus, fac in unum hominem hæc omnia convenire, secari, discerni, acubus figi, membratum concidi, lento igne torqueri: fac deinde hæc supplicia divinitus continuari, ad annos octo, & viginti, ut Sancto Clementi Ancyrano, vel ad decem & octo, ut Sancto Agathangelo: Adde his morborum omne genus, hisque spatium triginta & octo annorum, quamdiu his conflictata fuit Diva Liduina; pone insuper omnia hæc, & alia quævis supplicia perferri ex amore Dei ardentissimo, si tamen ipsa per se spectentur, neque ut coniuncta cum meritis Christi infinitis, beatificâ visione, licet brevissimâ, minimè erunt condigna. Quin etiam iis adiunge avernalis incendii tormenta, & fac ut voles ardentiore charitatis igne tolerari, nequidem ad eam dignitatem pervenient. Quid si, inquis, faciam etiam æterna? at neque tum eò perventura sunt, propterea quòd, ut actus Fidei, & Spei, etsi æternam durare ponantur, nunquam ad

dignitatem Charitatis divinæ pertingent; utcumque sint intentissimi: ita Charitatis actus, quantumvis ardui, ac diuturni, nunquam ad visionis beatificæ excellentiam, ac pretium sunt perventuri.

Ex his igitur manifestum est brevem beatificæ visionis iacturam prorsus incomparabilem esse. utique nihil ad illum fore, si tota hæc mundi machina æternum periret: imo si cum hac ipsa mille, ac mille, quas Deus conderet, aliæ: nihil etiam ad illam reputandum damnum illud ingens, quod fitum esset in omnium Fidei, Charitatis, & cuiuslibet virtutis actionum, quæ fuere, sunt, & erunt; imò & esse possunt prohibitione: cum infimi è Cælitibus beatifica brevis, & ad momentum, visio, utpote longè superioris ordinis, illas universas dignitate pretiivè superet. Nihili denique ad illam eandem ducendos cruciatus omnes, etiam tartareos, atque adeò malum in eâ iacturâ positum, pluris omnino malo pœnæ, ac tormenti faciendum esse.

Quod si verò ratio illa possessionis, Dei contuitu inclusa, tam præstans, ac pretiosissima est, quid de visione totâ censendum, quæ insuper est formalis, expressissimâque per se ex Numinis imago? Est enim ratum illud Joan 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Quippe notum est Theologis, ac Philosophis, notitiam omnem esse rei objectæ representationem. Cum ergo visio Dei perfectissima illius notitia sit, nimirum perfectissima divinæ essentia divinarumque personarum representatio, & imago est, ac proinde intellectus Beati ea illustratus, & velut indutus, vivam gerit similitudinem divinitatis: animusque suo intellectu instructus divinitatem in se exhibet, & tamquam Deus, certè perquam similis est Deo. Inest autem in eo ipso mira excellentia. Res enim quælibet eò perfectior est, quò propius accedit ad omnium perfectionis fontem, & idæam, id est, ad divinam essentiam: Atqui beatifica visio divinam essentiam, Triadèmq; per se ac perfectè attingit, estque vitalis omnium divinorum decorum imago, omniumque, quæ in Deum tendunt, actionum suprema: & quod huic consequens est, mens beati, ubi visione illa ornat, ad supremum provehitur dignitatis apicem. Quare visionem Dei meritò recenseas cum Angelico Doctore, inter ea quæ dici queunt infinita: meritò cæteras divinitatis imagines infra illam habeas: meritò iacturam illius, vel ad breve spatium temporis hoc etiam nomine, quòd imago sit Numinis, immensam pronunties.

102.
Quantificanda beatifica visionis iactura.

103.
Præsertim cum insuper per se expressa Dei imago.

Cum

104. *De privatio-
visionis sit
privatio
Dei.*

Cum ergo eam jacturam faciant pii manes, & multò clariùs, quàm nos cognoscant, exploratum est ab iis maximi aestimari. Et verò qui aliter fieret, cum Numen ipsum saltem ad tempus amittant? Quippe ut visio Dei, vera divinitatis possessio est: sic etiam illius temporalis privatio, est etiam ipsius privatio divinitatis. Item quemadmodum Deum intueri, est divinitatem quodammodo induere, & transformari in Deum: ita ab eo intuen- do retardari, est ad tempus spoliari jure ac formâ divinitatis. Nec refert quod gratia piis manibus inhærens, còsque sanctificans, annexum sibi habeat Spiritum Sanctum, atque ad eò divinam essentiam iis præsentem sistat: nec enim illud, quidquid est, rationem habet possessionis vitalis, sed ad summum cujusdam unionis moralis cum Spiritu Sancto, ac divinitate. Sicut si cui homini aurum alligatum esset, esset ille quidem auro conjunctus, non tamen illud possideret, quippe quòd eo uti pro arbitrio, ac frui nequiret. Quare & Deo privantur pii manes, quia illo uti ac perfrui non possunt, licet illi per gratiam, charitatemque conjuncti.

105. *Quanti
facienda.*

Quid porrò dicam de te, ô jactura Dei? quid de te, ô spoliatio quædam formæ divinitatis? Sed quid vos, ô pii manes! de illâ dicere potestis? Audio, respondent, sentiri potest, explicari non potest. Fac enim Principem è Seraphinis aliquem ab ipso mundi ortu ad illius finem, jacturis rerum conditarum cogitatione multiplicandis mentem intendere, immensa illa jacturarum summa ad momentum ejus, quâ de agimus, pulvisculi jactura erit, ad jacturam Universi: Itaque si Protoplastæ nostri per originis innocentiam jus ad Imperium totius terrarum orbis, ad illius usque exitum duraturum habuissent, illudque per noxam suam perdidissent, jactura illa, nostræ hujus umbra non fuisset. Si Lucifer, quod appetuisse dicitur in homines supremum dominium, in omnem retro æternitatem prorogare potuisset, illudque per scelus suum amisisset, ad jacturam unius animæ lustrandæ, nihil ista fuisset. Quid pergimus? congerat Deus ipse jacturas quascumque, etiam æternas rerum hujusmodi conditarum, ad jacturam divinitatis, qualem hic descripsimus, etsi brevissimam, nihil aliud erit totus ille jacturarum numerus, quàm vel momentum ad æternitatem, vel punctum ad immensitatem. Est igitur quævis pœna dampni, pœna maxima, est damnum prorsus incomparabile.

S. 2.

Expenditur posterior ejus tristitia causa, sive magnitudo desiderii Deum intuen- di.

PARS PRIMA.

Cur in defunctis tristitia sequatur ex jacturâ visionis beatifica.

106. *Ex priva-
tione visio-
nis beatifi-
ca non ne-
cessario se-
quitur par-
ti tristitia.*

ET si divinæ essentia contuitus, res sit ad eò per sese præstabilis, non contingit sequitur ejus privationem, licet per sese quoque summa jactura sit, patem sibi, aut etiam ullam omnino parere mœstitiam. Patet id in Patribus olim Limbo detentis, quibus dilatio beatitudinis, visionis vè beatificæ, vel nihil admodum, quod aliqui censent, vel perparum molesta erat. Patet & in pueris absque baptismo mortuis; quæ eadem, etsi æterna visionis privatio, nihil prorsus tristitiæ aspergit, ut sentit Angelicus Doctor non uno loco, & communis sentiunt Theologi, tum quia, ut loquitur ille: *Pœna quæ est per propriam passionem, respondet culpæ admittæ per propriam operationem*, quæ nulla in illis fuit, tum quia licet cognoscant sese ad visionem illam fruendam esse conditos, tamen intelligunt per eam non suâ culpâ nempe actuali, illius consecutione privatos esse, nec ejus proximè capaces fuisse. Cum ergo sapientis minimè sit tristari ex absentia boni, quod nec perierit tuâ culpâ, nec umquam in tuâ potestate situm fuerit, & si pueri judicio, sapientiæque præstent, conficitur eia jacturâ illâ nihil tristitiæ concipere. Itaque ad tristitiam huiusmodi requiritur primùm facultas fruendi bono, cuius absentia mœrorem ingenerare dicatur. Requiritur etiam culpa, quæ te eo bono privet, denique requiritur eius boni, quod adimitur, desiderium; quod quò ardentius, eò tristitia ex illius privatione profecta est gravior. Declarantur hæc amplius familiaribus exemplis. Quid enim doleam me Hispaniarum regno non potiri, si, ut res est, nullum mihi ius in illud, nulla umquam potestas potiendi obtigerit? At si obtigisset, & si meâ culpâ periisset, gravissimus ex eâ dolor existeret. Præterea fac, me posse opibus affluere, fac & affluere iam nunc, si nec eas amem præsentem, nec absentes desiderem, sanè amittere difficile non erit. At si earum cupiditate, aut amore ardeam, magnus amor, parens erit magni doloris, quoniam amor doloris mensura est.

PORRÒ